



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xxij. De Religiosis domibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

DE RELIGIOSIS  
domibus,

## TITVLVS XXIII.

*Xenodochia, Orphanotrophia, & loca similia Episcopis subiunguntur, qui prouidere debent, ne illorum res dissipentur. h. d.*

**X**enodochia quoque, Orphanotrophia, Brephotrophia, Nosocomia, Gerotocomia, aliaque similia loca, ad Episcoporum, in quorum sunt diocesi, sollicitudinem pertinent, per eosdemque ad eas utilitates, quibus constituta sunt, ordinanda, ac dirigenda erunt: nec postquam huiusmodi loca ad hospitalitatis usum, & pauperum provisionem, Pontificis ordinatione deputata fuerint, ad profanos usus conuerti poterunt: cum ea, quae ad certum usum largitione fidelium sunt destinata, ad alium, salua sedis Apostolicae autoritate, conuerti non valeant.

*Ordinarij loca pia & religiosa possunt reformare autoritate Apostolica, si opus sit reformatione. h. d.*

Quinimodo si talium locorum Rectores exempti sint, si tamen illorum cura postposita, bona & iura ipsorum ab usurpatorum manibus vindicare negligant, aut quoquo modo res illorum collabi sinant, poterunt ordinarij autoritate Apostolica sibi ex Viennensi Concilio praestita, loca ipsa salubriter reformare, & occupata, alienata, deper-

ditata, ut in statum pristinum redigantur, procurare: contradictoresque quoscunque per censuram Ecclesiasticam, & alij iuris remedijs cōpescere, licet nullum per hoc exemptionibus, seu priuilegijs, quod ad alia, praedictum generari debeat.

*Xenodochia, & loca similia non possunt in beneficium conferri, nisi certis casibus. h. d.*

Eodem cauetur Concilio, ut nullus ex huiusmodi locis secularibus clericis in beneficium conferatur, etiam si consuetudine id fuerit alias obseruatum, nisi in illorum fundatione aliter constitutum fuerit, siue per electionem sit de Rectore huiusmodi locis prouidendum: sed quod eorum gubernatio viris, puidis, ac boni testimonij committatur, quos bona praedicta in alios usus conuertere, praesumptio verisimilis non existat.

*Administratores hospitalium aequiparantur tutoribus. h. d.*

Ut autem hi demandatae sibi curae diligentius insistant, in star tutorum & curatorum debent iuramentum praestare, ac de bonis inuentaria conficere: & ordinarijs, seu alijs, quibus loca huiusmodi subsunt, vel deputandis ab eis, singulis annis de administratione sua rationem reddere: quod si secus a quoquam fuerit attentatum, prouisio, seu ordinatio minime valebit.

*d. clem. 2. §. ut autem. cod. tit.*

*d. clem. 2. §. 1. uers. illi etiam. eo. tit.*

*\* cap. de xenodochijs. ext. cod. tit.*

*b. cap. ad haec. extr. cod.*

*\* clem. 2. in prin. cod. tit.*

*Suprà dicta non habent locum in hospitalibus militarium ordinum, aut religiosorum. hoc dicit.*

*a clem. 2. §. 5. præmissa. eod. tit.*

Prædicta <sup>a</sup> verò ad hospitalia militarium ordinum, vel aliorum religiosorum minimè extenduntur. Hi enim suorum ordinum institutiones, & consuetudines obseruare cogendi erunt.

*Hospitalibus circa sacramentorum exhibitionem seruanda est antiqua consuetudo. h. d.*

*b clem. 2. §. 5. eod. tit.*

Sed <sup>b</sup> & si qua sint hospitalia, altaria & cœmeterium ab antiquo habètia, & presbyteros celebrantes, & sacramenta Ecclesiastica pauperibus ministrantes, quo ad exercenda, & ministranda spiritualia prædicta, antiquam consuetudinem Viennense Concilium obseruari voluit.

## DE SEPULTVRIS,

### TITVLVS XXIII.

*Cur in Ecclesijs & locis sacris sepulturæ constituantur. h. d.*

**T**Ractemus nunc de sepulturis, quæ quidem per fideles non, nisi in sacris & religiosis locis, ideo constituuntur: & quòd minùs ibi spiritibus vexantur immundis, & quòd sanctorum illorum commédantur patrocinijs, quorum nomini Ecclesia, in qua corpora conuiescunt, est consecrata. Accedit <sup>c</sup>, quòd defunctorum proximi ad sacra loca venientes, sepulturamq; conspicientes, suorum recor-

*e can. cum graui. 13. §. 2.*

dantur, & pro eis pias preces fundunt. Vnde <sup>d</sup> mortuorum sepultura, & cœmeteria apud illas Ecclesias, & monasteria ex antiquo disposita esse compèriuntur, in quibus religiosorum conuentus sunt constituti, vbi orationes, & missarum solennia, tam pro viuis, quàm pro defunctis, frequentius celebrantur.

*d cap. fraternitatem. in prin. extra. eod. tit.*

*Vnusquisque habet liberam facultatem sepulchra. in eligendi. & si quis non eligat, in parochiali Ecclesia, aut maiorum sepulchris est sepeliendus h. d.*

Regulariter igitur in parochiali Ecclesia, aut ibi quis sepeliendus erit, vbi maiorum <sup>e</sup> suorum sepulchra constituta reperiuntur: nulli <sup>f</sup> tamè propterea propriam, si contemptus ab sit, negatur eligere sepulturam: quod vsque adeo obtinet <sup>g</sup>, vt antiqua dimissa, nouam possit quis etiam in loco minùs religioso sibi deligere: nec propterea poterit hodie electio talis impugnari, licet antiqua iura sup hoc diuersa esse videantur.

*e cap. 1. et cap. fraternitat. extra. eod. tit.*

*f cap. in nostra. extra. eod. tit.*

*g cap. 2. §. 1. eod. tit. in 6.*

*Vxor non tenetur sequi sepulturam viri: si uelit aliam eligere. h. d.*

Nec <sup>h</sup> vlla sup hoc inter virum & mulierem facienda est distinctio, quasi vxor capitis sui sequi iudicium & sepulturam sit còpellenda: sed vtrique æqualis erit eligendi facultas, cum huiusmodi electio ad eum statum pertineat, quo mulier à lege viri soluitur.

*h cap. de uxore uero. extra. eod. tit.*

Si